



# Christo Fortunante!

## I.

**X**hibita nuper est in Theatro nostro Johannis Barclaji Argenis: quam fabulam qui dixerit omnibus antiquorum Inventis sive parem sive superiorem, passim habiturus est consentientes,

**II.** Sed qui Scriptum effusè laudant, diversis trahuntur elegantius. Hi mirantur stylum, illi fabulam dextrè concinnatam, alii latentem sub figmento historiam, nonnulli deniq; doctrinam Politicam sub argutis involucris propositam.

**III.** Cum igitur de valedictorio Specimine nunc esset cogitandum, id maxime videbatur cum Lectoris jucunditate, ac præcipue cum discipulorum utilitate conjunctum, si, quantum his laudibus tribui debeat, quantumq; ad imitationem ingenia curiosa provocari possint, Thesis nec morosis nec obscuris exhiberetur.

**IV.** Stylus inter Oratorem & Poëtam medius est, ut multi solutum inibi Carmen agnoscant. Si tamen veteres hanc dictionis sublimitatem secuti sunt unquam, infra hujus ingenii felicitatem non immerito collocabuntur. Nam recedit à vulgari sermone, nec tamen evadit obscurior, nec difficilior. Elegantias habet profundasq; argutias, ut interim nihil decedat amœnæ perspicuitati. Totus est in captandis Realibus (ut loquimur) totus in applicandis Verbis.

**V.** Eqvidem habent Politici & Theologi, quod accusare possint. Primo enim in allusionibus phrasum, tum maxime in Carminibus Deastrorum fabulas tanta inspergit prodigalitate, ut qui more seculi nostri hanc doctrinæ partem attingit aliquanto parcius, in re alioqui clarissima caliginem sit deprehensus.

A 3

VI. De